

Sed adeo arctum est Artis cum Natura connubium;

Ut, qui ignoscit artem, naturam vix agnoscat,

Nec ars ulla esset, nisi esset natura;

Natura tamen in multis se non proderet,

Nisi prodirent multæ artes:

A natura siquidem ars habet, quod nascatur;

Quod noscatur natura, habet ab arte:

Ultra alteri plus debet?

Quod ergo tot jam annos cum arte natura parturit,

Sub ter felicibus auspiciis

Ter maximi hoc sæculo Viri,

P. ATHANASII KIRCHERI,

E Societate JESU;

(Viri in Disciplinis Mathematicis maximi;

Qui omnes complexus unus:

Maximi in Phisicis;

Qui ad ea naturæ secreta accedit,

Quæ humanum prope Ingenium excedunt:

Maximi in linguarum peritia;

Qui, quas aliis nunquam audierunt, omnes loquitur:

Polyglottorum PRIMUM dicerem,

Si secundum scirem:

Nunc verò Polyglottorum Phœnix jure audit,

Qui solus & unus audet,

Quod reliqui desperant,

Viginti quatuor linguas & nosse, & loqui?

Vt magis mireris,

Tot à linguis & scientiis unum hominem capi posse,

Quam tot ab uno linguas & scientias;

Jam in Theatro hoc enititur

Ars & Natura,

Obstericante

P. GASPARE SCHOTTO,

Ter maximi ATHANASII KIRCHERI Discipulo:

Quem Regis Curia in Francia orientali genuit,

) (2

Her-